



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

6. Quòd jam pluriès &c. Concessio Indulgentiæ Plenariæ Christifidelibus
Italiæ, & Insularum adjacentium, divinam opem implorantibus, pro pace
inter Principes Christianos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

alias, nec alio modo, & semper in omnibus, qua sic fient etiam de simili consilio, derogationibus sit apposita clausula, quod illarum effectum fortiantur de consensu Magistri, & Conventus praedictorum, & non alias, nec alio modo; quodque ipsi exactores, & appaltatores decimas, pedagia, & onera huiusmodi, etiam ab exemptis exigere, & illos ad solutionem, seu contributionem cogere, & compellere possint, seu debeant. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inferentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat in genere, & in specie, ad effectum praesentium sufficienter, & expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus; quodque vos primam non feceritis in Ecclesiis huiusmodi personalem residentiam consuetam, caeterisque contrariis quibuscumque.

Præscribit
quædam adimplenda
ante usum
Notariatus.

Mandat si-
dem haberi
Transumptis
harum Lite-
rarum.

Prohibet,
ne Indulta
testandi, &
pensiones
transferendi
suffragetur
his, qui alia
huiusmodi
Indulta obti-
nerunt.

§. 9. Volumus autem, quod antequam gratia creationis in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios vobis, ut supra, facta perferri valeatis, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem à Sede prædicta propositos expresse emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omnino teneamini; Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio, & extra, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 10. Cæterum volumus pariter, atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus similes testandi de bonis, ac pensiones transferendi facultates à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quorum respectivè etiam familiares continui commensales erant, & concessæ fuerint, præsentibus litera quoad facultates testandi de bonis, & transferendi pensiones huiusmodi minime suffragentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Aprilis MDCCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

F. Oliverius.

VI.

C O N C E S S I O

Indulgentiæ Plenariæ Christianis Italiciæ, & Insularum adjacentium, Divinam opem implorantibus pro Pace inter Principes Christianos.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Q UOD jam pluries indictis publicè precibus à Patre misericordiarum supplici, devotaque humilitate flagitavimus, ut Regum, ac Principum Christianorum animos, sublatis discordiis, arcto, atque indissolubili charitatis vinculo conjungere dignaretur; id nunc præcipue, cum armorum strepitus in dies crescere, atque ad Christiani sanguinis effusionem, non sine maximo animi nostri dolore, ferme in circuitu Jerusalem deveniri conspiciamus, ferventiori spiritus ardore, majorique animi contentione faciendum censemus: ut Clementissimus Dominus, & Deus noster, qui facit pacem in sublimibus, & Reges in thronis collocat, fidelem Populum ab iracundiæ suæ terroribus liberet, nostrosque labores, & curas, ac spem, quam in ejus ineffabili bonitate collocavimus, optatæ cumule lætitiæ tranquillitatis. Nuper siquidem omnibus utriusque sexus Christianis fidelibus verè penitentibus, & confessis, ac

sacra Communione refectis, qui aliquam ex certis à Nobis tunc designatis Almae Urbis nostræ Ecclesiis, seu Basilicis, in quarum qualibet per tres continuos dies Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè fidelium venerationi expositum fuerat, devotè visitassent, ubique auxilium de Sancto in præsentibus Ecclesiæ, ac Christiana Reipublicæ urgentissimis necessitatibus invocassent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus. Nunc autem Divinam opem similibus Christiana pietatis operibus in universâ quoque Italia, & Insulis adjacentibus implorari cupientes; Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælati, & Ordinariis Civitatum, & Diocesium, Oppidorum, Terrarum, & Locorum universæ Italiae, & Insularum adjacentium huiusmodi; seu eorum Vicariis in spiritualibus Generalibus præsentium serie committimus, & mandamus, ut statimque ipsarum præsentium literarum transumpta, seu exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, in aliquibus suarum respectivè Civitatum, & Diocesium, Oppidorum, Terrarum, & Locorum Ecclesiis per eos designandis memoratum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum feriis sextis, ac Sabbatis, & Dominicis duarum continuarum Hebdomadum publicè pariter fidelium venerationi exponi curent: Nos enim de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christianis fidelibus, qui aliquam ex Ecclesiis huiusmodi eo tempore, quo idem Sanctissimum Sacramentum publicè venerationi ibidem sic expositum fuerit devotè visitaverint, ac aliquo ex hisdem Sabbatis jejunaverint, & verè penitentes, ac confessi die Dominicâ immediatè sequenti Sabbatum huiusmodi sacra Communione refecti fuerint, ac in eisdem Ecclesiis ante prædictum Sanctissimum Sacramentum per aliquod temporis spatium, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effundendo Divinam opem pariformiter invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem similiter concedimus, & largimur. Regularibus verò utriusque sexus in clausurâ viventibus, qui pariter uno ex dictis Sabbatis jejunaverint, eorumque respectivè Ecclesiis in aliquo ex memoratis diebus visitaverint, ac verè penitentes, & confessi, Sacraque Communione in aliquâ ex Dominicis huiusmodi refecti, Deum, ut supra, oraverint, ut eandem plenariam Indulgentiam, & peccatorum remissionem consequantur, indulgemus. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxix. Julii, Pontificatus nostri Anno primo.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi MDCCI. Indictione nona, die verò 30. Mensis Julii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Pape XI. anno primo, supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Marie Majoris de Urbe, in Monte Citorio, & in Acie Campi Floræ, aliisque locis solitis, & consuetis Urbis per me Jo. Philippum Castiglia Sanctiss. D. N. Pape Curf. Sebastianus Vafellus Pro Curf. Mag.

EXTEN-